



¶



quinque ergo nunc anni sunt , cum *Gratiosissimis Auspiciis e Lipsiensi Lyceo Nicolaitano Schleusingam Hennebergicam* , & a *Conredoris munere* , quo per biennium & ultra functus eram , ad voluendum hoc saxonum Sisyphium & Rectoratum Schleusingensem abii ; d. viii. April. A. M DC XCVI. vocatus , d. viii. Mai. confirmatus , & d. ix. Jun. a *Max. Reuerendo Viro, Dn. Frid. Ern. Meisio, Gymnasti spectatissimo Ephoro* , solenni inductus ritu . Ipsa vero vota , quae auspicialis sermo de Ernestino monumento , Gymnasio nimirum Saxo- Hennebergico (etenim **GEORGIVS ERNESTVS, Princeps Hennebergiae** , b. m. A. M D LXXVII. hanc illustrem condidit Scholam , visumque mihi est , ludo tam celebri attribui posse elogium a *Iulio Card. Mazarini* datum Collegio in testamenti tabulis constituto seu *Gymnasio* , cum diceretur *monumentum Priol. XI. II.*) pro **SERENISSIMIS** cum primis **NVTRITORIBVS** & toto deinceps Gymnasio nuncupauit : ad salutem tantorum **NVMINVM** pertinuere & perpetuitatem fortunae *Illustris Scholae* . An excidit vox illa ex *Plinii aureo panegyrico* publice iterum ac saepies repetita : *Non distinguius TE, DEVS, votis; non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non opes oramus, non honores: simplex, cunctaque ista complexum, unum omnium votum est: SALVS PRINCIPVM?* Pendetque a salute horum nostra salus & communis Gymnasii **FORTVNA** .

Quanquam porro omne omnino tempus perferendis huiusmodi ad **DEVVM** precibus opportunum est , neque vlla , Maiorum sanctissimo ductu , intermissio fit pietatis , dum ita ordimur lectiones finimusque , ita preces ordinamus , vt ad dictum collineent scopum : fateri tamen heic licet , *festo* praecipue *Gregoriano* , quippe quod Scholasticum est , & Patronorum voluntates ad animum facit occurrere , laudanda hac pietate nos esse perfundos , & per omnes quinquennii dies *Gregoriano* *Festo* sacros cogitandae **NVTRITORVM Clementiae** votisque pro ulteriori *fortuna* peculiariter Scholam adsueuisse . Quod inter *programmata* mea primum fuit in Actum Oratorium primum & *festo* *Gregoriano* , d. xvi. Jun. A. M DC XCVI. super *Laetitia Gregoriana* *III. Gymnasii* , *fortunam* demonstrat tam pulcro *laetitiae* nomine fuisse **prae-**